

ARCTOS

ACTA PHILOLOGICA FENNICA

VOL. IX

HELSINKI 1975 HELSINGFORS

I N D E X

Erkki Palmén	Päivö Oksala in memoriam	7
Patrick Bruun	Constantine's Change of Dies Imperii	11
Paavo Hohti	Über die notwendigkeit bei Herodot	31
Jorma Kaimio	Notes on the Pay of Roman Soldiers	39
Iiro Kajanto	Who was Sabinus Ille?	47
Bengt Löfstedt	Zwei Patristica	57
Martti Nyman	Ist der rēst-Typus möglich?	61
H.-G. Pflaum	Clients et patrons à la lumière du cimetière de l'Autoparco sous le Vatican à Rome	75
Gilles Roques	Brève réponse aux 'Bemerkungen zur Sprache des Jonas von Bobbio' de M. B.Löfstedt.	89
Eeva Ruoff-Vääänänen	The Roads leading to Rhegium.	93
Heikki Solin	Analecta epigraphica	99
Jaakko Suolahti	Unknown Source on Ancient Stenography	109
De novis libris iudicia	111



Päivö Oksala
14.8.1907–28.12.1974

PÄIVÖ OKSALA

in memoriam

Erkki Palmén

Päivö Nyyrikki Oksala, professor emeritus linguae Latinae Universitatis Jyväskyläensis, exeunte anno MCMLXXIV – ante diem quintum Kalendas Ianuarias novi anni – praematuram mortem obiit. Quo casu cum perierit unus ex iis, qui de studiis litterarum antiquarum in Fennia provehendis optime sunt meriti, non alienum est his paginis vitam illius breviter attingere.

Natus erat Päivö Oksala in urbe Jyväskylä postridie Idus Augustas anno MCMVII. Ibi cum scholam peregisset, vicesimo aetatis anno Helsingiam transiit ac studiis academicis praesertim litterarum Romanarum et Graecarum necnon linguae Fennicae se dedidit. Septem annis post candidatus philosophiae factus est. Deinde cum in Lyceo Normali Fennico Helsingiensi se arte paedagogica exercuisset, publica docendi specimina dedit. Anno MCMXXXVII in Lyceo Classico Tamperensi lectoris linguarum Latinae et Fennicae locum obtinuit excepto que intervallo bellorum nostrorum, quibus patriam adversus hostes fortissime defendit, id munus usque ad annum MCMXLIV gessit; tum in Universitatem Helsingensem transgressus studiosos artium sectionis historicae philologicae elementis linguae Latinae eruditivit atque alios linguam Graecam docuit. Anno MCMLIII dissertatione confecta et publice defensa doctor philosophiae sine solenni ritu promotus est ac professor adiunctus philologiae classicae nominatus. Triennio post, cum Edwin Linkomies, qui tum in Universitate Helsingensi professor litterarum Romanarum erat, rector magnificus creatus esset, Oksalae mandatum est, ut professoris vice fungeretur; quo in officio decem annos remansit. Interim etiam in Universitate Jyväskyläensi facultas studiorum linguae Latinae data erat. Anno MCMLXVII Oksala ibi docens atque quattuor annis post professor ordinarius huius linguae nominatus est. Ita iure dici potest eum senem in patriam revertisse, unde puer profectus esset. Completis septem et sexaginta annis, cum iam emeritus ex munere professoris abire posset, tamen a collegis rogatus in eo remansit, dum successor eligeretur. Quo factum est, ut ne ultimis quidem vitae suae mensibus occasionem haberet de quiete senectutis cogitandi.

Päivö Oksala numquam otio se dedit; nec dubium est, quin multo etiam plus efficere potuerit, si diutius vixisset. Habebat ingenium ad res diversissimas aptum; in persona eius, ut Horatii versu paululum retractato utar, urbis amatorem

fidum salvere iubebat ruris amator. A prima pueritia totius provinciae Mediae Fenniae summo amore afficiebatur. Neque umquam ea agere desiit, quae patriae regioni profutura essent. Iam illis annis, quibus Universitas Jyväskyläensis in votis tantum erat, plurima ad eam condendam iniit consilia; quae postea quoque Oksalam in multis rebus optimum patronum habuit. Eiusdem opera effectum est, ut in urbe Jyväskylä museum architecto Fennico praeclaro Alvar Aalto dedicatum aedificaretur. Denique in instituendis festis diebus anniversariis, quibus nomen est "Jyväskylän Kesä" (Aestas Jyväskyläensis), Oksala plurimum studii operaeque posuit. Longum est omnia eius de patria provincia enumerare merita; satis sit dicere eum hominem fuisse animi culturae amicissimum, qui nil humani a se alienum putabat.

Hac ipsa copia ac varietate rerum, quas sibi perficiendas susceperat, factum est, ut ei perraro satis temporis ad scientiam colendam relinquetur. Haud parvi tamen aestimanda sunt philologica eius merita. In dissertatione, quae inscribitur "Die griechischen Lehnwörter in den Prosa-schriften Ciceros" (Annales Academiae Scientiarum Fennicae, B 80, 1, Helsinki 1953), non modo, quot et qualia vocabula Graeca in diversis operibus Ciceronis occurrant, dilucide perscrutatur, sed etiam ostendit eum multis rebus, quas Graeci Romanis notas fecerant, nomina Latina invenisse. Ex aliis operibus Oksalae duo praecipue commemoranda sunt: "Vom Gebrauch geographischer Namen bei den römischen Lyrikern der Blütezeit I: Catull, Vergil, Horaz" (Helsinki 1964), in quo cum omnino de nominibus geographicis poetice adhibitis disserit tum peculiarem apud singulos poetas colorem eorum egregie illustrat, et "Adnotationes criticae ad Catulli carmina" (Annales Academiae Scientiarum Fennicae, B 135, 2, Helsinki 1965), quibus ad complures locos Catullianos ab aliis aliter emendatos novam lucem affert. Sunt praeterea nonnulla minora scripta eius, quorum magna pars in huius ipsius Arcti diversis voluminibus edita est, e.g. "Das Aufblühen des römischen Epos: Berührungen zwischen der Ariadne-Episode Catulls und der Dido-Geschichte Vergils" (Arctos III, 1962, p. 167 - 197), quo poesis antiquae peritissimum se praebet.

Idem multo pluribus scriptis ampliorem legentium numerum adit; quorum iam ex titulis appareat, quam variis rebus se dedicaverit. Ut alia omittam, de lingua Fennica et de patria regione et de magistris scholarum paedagogice praeparandis disseruit. Eorum, quibus litterae antiquae cordi sunt, plurimi interest, quod in multis commentationibus ostendit poetas Graecos et Romanos non solum in ceteris terris Europae, sed in nostra quoque patria haud paucis scriptoribus aliquantum materiae dedisse; proinde in iuventute erudienda poesi antiquae non parum spatii dandum esse. Una cum filio edidit librum, qui inscribitur "Kreikkalaisia kirjailijakuvia"; in quo omnes fere ab Homero usque ad Demosthenem maiores

scriptores Graeci variis fragmentis in Fennicum conversis illustrati tractantur.

Quo tempore Oksala in Catullo recensendo erat occupatus, eodem totum huius Librum carminum metrice in linguam Fennicam convertit atque praefatione et explicationibus et apparatu critico instruxit. Aliorum quoque poetarum carminibus Fennice reddendis operam dabat, quod fortasse magis quam ulla alia res nomen eius posteris conservabit; cui, ut potissima excerptam, libri primi Propertii reginaeque elegiarum, quorundam carminum Horatii, nonnullarum metamorphoseon elegiarumque Ovidii, Vergilii Aeneidis quattuor primorum librorum interpretationes Fennicas elegantissimas debemus. Etiam reliquos libros Aeneidis convertere aggressus erat; quos ne in lucem proferret, morte impeditus est. — Neque oblivisci licet ipsum nonnulla composuisse poemata Latina, quibus collegas et amicos delectabat.

Quicumque discipuli Oksalae fuerunt, eum imprimis praeceptorem sui generis desiderant. Non est mirandum, quod iis ipsis annis, quibus ille Helsingiae vice professoris litterarum Romanarum fungebatur, numerus studentium linguae Latinae magnopere auctus est. Immo eorum, quibus haec lingua antea invisa fuerat, plerisque ille singulari quadam ingenii vi persuasit eam ne hodie quidem mortuam esse ac Fennicam quoque animi culturam cum ea artissime esse coniunctam. Quotienscumque homines minus litterati linguae Latinae in Fennia condicionem labefactare conati sunt, Päivö Oksala huius patrocinium eximia cum fide et constantia suscepit. Illa constantia animi, quae etiam in aliis rebus ab eo gestis apparuit neque eum umquam adversa fortuna deprimi passa est, nobis, qui in tuenda hereditate antiquitatis Graecae et Romanae velut superstites eius sumus, exemplo erit.

Quisquis Te deus eripuit, Tibi gratia nostra
debetur. Manes, Päivö, Tuos colimus.